



Iacobus filius fuit Christopherei marchionis Ba-
 densis, ex Otilia comitissa Cattimelibocensi. Is
 cum felicissimo ingenio esset praeditus, a parenti-
 bus hinc inde ad Academias missus fuit, ut liberali-
 bus artibus & varijs linguis operam daret. Itaque sui
 officij memor praceptoribus obediuit, & in uirum
 & principem doctissimum euasit. Accidit autem
 ut eodem tempore pater eius moreretur, atque ipse
 ad Treuerensem Episcopatum uocaretur. Cum ita-
 que ambiguus haesitaret, quod nam uitae genus
 amplecti deberet, Maximiliani Caesaris auctoritas
 eum eo dubio liberauit. Deuisset quidem iure pa-
 tri in Marchionatu tanquam senior succedere. Sed
 Maximilianus malebat ipsum propter excellens ingenium, eruditionem, elo-
 quentiam, & omnes corporis & animi uirtutes Episcopum agere, ut inter E-
 lectores etiam praesul esset eruditione celebris, cuius usus in Imperij negotijs
 non minimus foret. Itaque Iacobus Episcopatum adiit, & fratribus suis pater-
 nam ditionem gubernadam reliquit. In ea dignitate existens Iacobus summa
 clementia & dexteritate suam prouinciam gubernauit, atque uiros doctos plu-
 rimis beneficijs affecit. Quanta autem fuerit eius doctrina et prudentia ex eo
 potest perspicui, quod in conuentu Coloniensi post bellum Bauaricum, anno
 1505, nomine Imperij responderit Gallicis Legatis Gallicè, Legatis pontificijs
 Latinè, Legatis Venetis Italicè, & Germanicis Germanicè: idque tanta facun-
 dia, ut omnes in homine Germano, eoque principe, tantam linguarum cogni-
 tionem admirarentur. In Iurisprudencia erat insigniter doctus: praeterea artis
 Musices peritissimus. Nec tantum literis excellebat, uerum etiam in rebus a-
 gendis erat promptissimus, & in re militari singulari industria praeditus, ita ut
 Germania sibi optima quaeque sub hoc principe polliceretur. Verum is
 fatis sublatus effecit, ut immaturam eius mortem totum Germa-
 niae imperium non immerito luxerit. Manlius in
 dict. Phil.